

CAPUT VII.

An liceat, alterius peccato cooperari.

49. Duplici modo potest quis alterius peccato cooperari, scilicet vel *materialiter*, ut ajunt, vel *formaliter*. Materialis est cooperatio, quando ipsa per accidens, & remote confert ad peccatum alterius: formalis autem, cum per se, vel ex adjuncta sibi circumstantia conducit ad executionem peccati, licet illa sit per se indifferens. Ita Cardenas, & Milant. Sed melius dices cum aliis, illam esse *formalem*, quæ concurrat ad malam voluntatem alterius, & in illam influit: *materialem*, quæ concurrat utique ad malam actionem alterius, sed præter intentionem cooperantis. Jam vero nemo potest sine peccato *formaliter* cooperari alterius culpæ, ut est certum; cum talis cooperatio moraliter influat in peccatum, proindeque sit illius causa moralis. Licebit autem *materialiter* cooperari, quando actio per se est bona, vel indifferens, & aliunde adest justa causa præstandi concursus, ex quo alter prævidetur esse peccaturus. Ratio est, quia tunc peccatum oritur ex malitia alterius, nec actio tua moraliter influit in peccatum, sed tantum est occasio peccati, quam non teneris impedire, cum tibi justa est causa non impediendi. His præjactis —

50. *Quest. 1.* An famulus ratione sui muneris possit herum comitari ad lupanar aut sternere equum? Affirmant Navarus, Busemb. a-

liisque, quia hæc & similia officia tantum remote sese ad peccatum habent, & sine illis fieret peccatum. Negant tamen probabilius, ad id sufficere rationem famulatus, etiamsi herus adiret sine famuli ope, Sanch. Viva, Salmant., qui recte animadvertunt, id nunquam licere, si herus ex famuli societate animosior reddatur ad peccandum. Idem dico de famulo, concubinam ad domum heri deducente. Nam si res ita se habet, ut dominus etiam sine eo famuli officio paratus sit ad peccandum, excusari potest famulus a peccato lethali, secus vero, si dominus peccaturus non esset sine subsidio famuli. Alias non possunt excusari, nisi intercedat metus gravis damni. Nec ob aliam rationem immunes esse possunt a lethali famuli, aurigæ, nautæ, ducentes concubinam ad amasium, vel contra.

51. *Quest. 2.* An liceat famulo deferre munera meretrici, ratione famulatus? Affirmant de esculentis, aliisque hujusmodi munusculis Navar, Azor, Sporer, Sanch. cet. Sed verius Concina cum aliis putat, id esse intrinsece malum, quia munera per se se turpem amorem fovent. Eodem modo loquendum est de famulo scribente, aut deferente litteras amatorias ad domini concubinam. Quicquid enim nonnulli dicant ista fovent amorem turpem, & ad illum proxime adjuvant. Quod si famulus dubitet, quid litteræ contineant; cum de turpi amore constet, moraliter creditur, turpia continere adeoque non licet ipsa deferre. Si vero contineant sola signa urbanitatis, requiritur in famulo, ut

a peccato excusetur, causa aliqua, præter obsequium famulatus. Ita Salm. Sanch. Tambur.

52. *Quæst. 3.* Utrum liceat famulo ostium meretrici aperire? Negant La-Croix & Antoine, idque probari videtur ex damnata prop. Innoc. XI. quæ sic se habet: *famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat moraliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino mala tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nihilominus a lethali excusant famulum Salmant. Layman, & alii bene multi, modo ipso januam non aperiente, adsit alius, qui aperiat. Nam ex ipsa serie damnatæ prop. constat, verbum illud, *aperiendo januam* ibi intelligi de aperitione per vim facta, ut animadvertunt Salmant. Roncaglia de Char. Tract. 6. in Reg. pro praxi.

53. *Quæst. 4.* An metus mortis, vel gravis damni excuset a lethali famulum, deferentem scalam, subjicientem humeros, aut quid simile facientem, ut dominus ad fornicandum accedat? Negant Salmant. La-Croix, Viva, Concina, & alii, quia actiones illæ, cum proxime juvent ad peccatum, sunt intrinsece malæ, & in damnata propositione continentur. Contraria tamen opinio videtur mihi probabilior, si ratio spectetur; quia illæ actiones secundum se spectatæ sunt omnino indifferentes, & solum malæ sunt in illis circumstantiis ex malitia alterius, quæ quidem malitia immutare nequit

naturam actionis, ut ex indifferenti evadat intrinsecus mala. Ergo famulus non tenetur subire mortem, vel aliud grave detrimentum, ut alterius peccatum avertat. Quin obstent verba illa proscriptæ thesisi *aut quid simile cooperando*, quæ certe loquuntur de cooperatione formali, non de materiali; materialis autem est tantum cooperatio famuli id facientis, metu mortis inducti. Pariter illa verba: *si id faciat metu notabilis detrimenti*, non comprehendunt timorem mortis; ibi enim declaratur, qualis metus non excuset, *ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Unde censeo, solum prudentem mortis timorem excusare a peccato famulum deferentem scalam, claves tradentem furi, cet. Ita Contin. Tournely. Tradere autem gladium occisuro innocentem, nunquam licet, ut tu mortem vites. *Tournely.*

54. Ex dictis facile solves quæstiones alias, quæ in praxi solent occurrere. 1. non licet famulo ministrare carnes in die vetito; in dubio autem præsumendum est, hero justam causam adesse, cibos prohibitos edendi. 2. neque licet cauponibus, vendere vinum iis, quos sciant esse inebriandos; excusantur tamen a Concina, si id faciant metu mortis, aut mutilationis; quia tunc charitas non obligat impedire ebrietatem illorum. Ex eadem autem ratione excusantur, quotiescumque grave exinde damnum immineat. Atque idem dico de famulis, qui ex metu gravis damni ministrant carnes in die prohibito. 3. non licet domum locare usurario, aut meretricibus, si adsint alii conductores, vel meretrices

graviter noceant vicinis honestis, aut ex loci commoditate majorem ansam arripiant pecandi. De cetero ubi vitandi majoris mali causa permissum est, eis licebit domos locare. Ita Salmant. Vazq. Suarez, alii communiter.

55. Excusantur a morali, qui res vendunt indifferentes, v. g. aleas, fucos, gladios, licet eis plurimi abutantur. Quod si prudenter credatur, alterum esse abusum contra justitiam, non liceret, quum certa salus præferenda sit modico lucro. Quando vero is, qui vendit, magnam sit jacturam passurus, res suas non vendendo, putant aliqui, id licere ad vitandum grave incommodum proprium. Eodem modo excusantur, qui ob justam causam vendunt agnum Judæo, vel infideli ad sacrificium; qui, permittente Magistratu templa hæreticorum, vel Judæorum synagogas instaurant; nunquam tamen licet, venena aliis vendere, nisi iis, quos certo constet bene usuros ad confectionem colorum vel medicinam, cet. Christiani vero captivi ex gravi metu licite remigant, aliosque labores exercent contra Catholicos, quicquid Tolletus, & alii repugnent. Quod si tamen eo loco res esset, ut auxilia sua negantes classem christianam e gravi periculo eriperent, vel victoriam conferrent; tenerentur tantum bonum vitæ suæ anteferre. Ita suar. Less. alii.

56. 4. Petere juramentum ab eo, qui pejeraturus scitur, non licet, nisi gravis causa intercedat scilicet si judex petat juramentum ratione sui officii, quod & ipse S. Thomas admittit: vel si magni tua interest uti alterius jura-

mento ad res tuas assequendas; quo pacto ad est justa causa, nempe bonum petentis; atque ita intelligendus est S. Thomas 2. 2. q. 68. Petere autem ab infideli, ut juret per falsos Deos, si gravis causa intersit, non est peccatum, ut docet S. Th., & cum eo communiter TT. qui docent etiam, licere, petere mutuum ab usurario gravibus de causis, Sacramenta a Sacerdote, qui est in mortali, cet.